

Rochlin

—
Haeresis

1620

II
886







42
2



ΔΙΑΣΚΕΨΙΣ
HÆRESE-ÆTIO-LO

Π i
886

Hoc est:

CONTEMPLATIO CAU-
SARUM, EX QUIBUS PLERUN-
que omnis suboriri solet

Heresis,

36.

Succinctâ quâdam Oratiunculâ,

DIRECTORE

VIRO

Clarissimo & Excellentissimo

Dn. JOHANNES AVENARIO,

J. U. Licent. & in inclyta Academia Witteb.

Eloquentiæ Prof. Publ. ibidemque p. t. De-
cano Spectabili,

Proposita & recitata

â

GEORGIO ROCHLIN Prentzloâ March.
Wittebergæ Saxonum

in

Auditorio Theologico
Mense Februario,

Anno, in quo 1620.

Ab alto ope Magnâ eVigILabit JehoVa Forti-
tUDO nostra.



WITTEBERGÆ

Ex officina Typographica Hæredum Iohan. Richtei



VIRIS

Amplissimo & Prudentissimo,

Dn. GEORGIO ROCHLIN,

Prentzlaviensium Consuli Spectatissimo,

Parenti suo Bene-merenti Honorandissimo:

N E C N O N

Prudentissimo, & Doctissimo,

Dn. CASPARI Dietrich / Notario Publico,
atque Prentzlaviensium Senatori Dignissimo, Affini & Fautori suo

Colendissimo:

U T E T

Politissimo, & Honestissimo,

Dn. FRIDERICO Dreyer / Negotiatori
apud Sedinenses Primario, Avunculo suo
summo perè dilecto, suscipi-
endo.

Has Suada Leucorea primitias sacras

In perpetuæ gratitudinis & amicitiae testimonium,
suiq; commendationis symbolum

Submissè

Officiosè

offert

GEORGIUS RÖCHLIN.

RECTOR ACADEMIÆ

WITTEBERGENSIS.

WOLFGANGUS Schaller

PHIL. ET MED. D. AC PRO-
FESSOR PUBLICUS.

SI hominis proprium atque præclarum munus est, ratione & oratione cæteris præstare animantibus; præclarius multo, & maxime proprium literatorum est, reliquis hominibus rectè atque ornatè dicendi facultate antistare. Naturâ enim & usu omnes loquimur: sed nemo nisi instructus à doctrinâ maximarum & præclarissimarum rerum evasit dicendi peritus. Ea propter egregiam illi merentur laudem, qui artium præceptis, veluti Sirenium scopulis, non ita adfixi adhaerescunt, ut nullo loco numerorum, styli exercitationes habeant, & de lauta rerum eximiarum suppellectile minimè solliciti sint, sed potius, quæ aut publicè proponuntur, aut domi leguntur, non cognoscant modo; sed ad usum transferant, & in succum, quod ajunt, & sanguinem convertant, tum differendo, tum dicendo, idq; assidue μελέτη τῶν ἀντὶ δύνανται: quod à Periandro Corinthio excogitatum & posteris traditum, quò nativam ad summa languentem atq; dormitantem exertatione suscitarent, & sibi in unaquaq; arte ac disciplina, per sedulam meditationem, assiduumq; usum

Et enim verissimum est illud, quod à Diogene et aliis usurpatum sit.



pararent perfectionem. Exercitationem siquidem cum in omnib. artib9, tū præcipuè in oratoria facultate esse necessariā, neminē fore existimo, qui dubitet. Quod cum optimè sciret, juvenis Ornatissimus atq; Eruditissimus GEORGIUS RÖCHLINUS Prentzloà-Marchicus; non sic tantū in literis ac disciplinis versatur, ut eas duntaxat sciat: verū etiam ita docentibus præceptoribus dat operam, ut unā cum disputationibus declamationum exercitia minimè negligat: Ideoq; die Mercurii proximo, hora 1x, finita concione, in aciem Solem progressurus, orationem scitè & eleganter à se contextā habebit. Argumentum verò ad tractandū, quod delegit, est de causis Hæresion; quarū efficiens causa est duplex, remotior & propinquior. Remotior est justa Dei voluntas, qui sic verbi sui contemptū ulciscitur, & suos probat; Propinquior, hominū ipsorū naturalis tum rebellio, tū cecitas & ambitio. Finis itidē duplex est: 1. piorum probatio; 2. impiorum justa punitio, qui veritati divinæ placidè obedire & adquiescere noluerunt. Forma est ipse error. Materia est articulus ille, in quo erratur. Quam in sententiā amplius & uberius expectamus à prædicto Röchlino. Vestrum erit, Cives Academici, frequentes adesse, & tam laudabile institutum benevolentia & attentione vestra prosequi. P. P. Dominicā Quinquages. anno M. DC. XX.



V Ivis & propriissimis suis coloribus, Viri Magnifica authoritate, Spectabili dignitate, Reverenda admodum pietate, Amplissima gravitate, Clarissima eruditionis ubertate Excellentissimi, Eminentissimi, Præstantissimi, Domini Præceptores omni observantiæ genere colendissimi, Tuque ad pietatem ac literas conformata, ad laudem & decus omne nata, Nobilissima, Doctissima, Studioforum Corona, vivis, inquam, & propriissimis suis coloribus, Vaidicus ille vir Dei Esaias alicubi emphaticô & graphico vaidè vocabulô, mores, quibus infernalis illa Bellona Diabolus in perturbanda & affligenda Dei Ecclesia his in terris militante, uti solet, depinxit, quando cum *serpentem vectem*, hoc est, *rectum & porrectum*, itemque *Liffiatham Akallatbon*, hoc est, *serpentem anfractuosum & tortuosum* appellitat. Duas enim ille potissimum habet larvas, in quas se deformare, & in quibus Ecclesiæ insidias struere optimè callet: *una est leonina; altera vulpina*. Illâ sævit, ut terreat; hâc verò blanditur, ut fallat: illâ ut hostis apertus furendo humanorum corporum interitum cupit; hâc verò ut Angelus lucis decipiendo animarum exitium quærit. Unde, duplicia esse potissimum armorum genera, quibus Diabolus Ecclesiam, quæ ipsi in oculis sudes est & spina, oppugnare consuevit, liquidò constat: aut enim illum adhibere vim & violentiam; aut interserere litem & fraudulentiam. Quam ad rem & *Augustissimus ille Patrum Pater Augustinus* album suum addit calculum, in eandem sententiam, *August. in Comment. super Ps. 39.* eleganter ità scribens: *Persecutio, inquit, sive à Leone, sive à Dracone, nunquam cessat Ecclesiæ. Mox enim cogit, mox docet Christianos abnegare Christum: mox ingerit violentias: mox agit per insidias: mox videtur fremens, mox lubricus & oberrans.* Et hunc suum furorem & astutiam, ut eò optatiùs exserere & exercere queat, non solus in medium prodit, inq; campum ad pugnam descendit; verum

*Squamarum immenso prædura volumine terga
instructus, hoc est,
organorum suorum, ex mundo deperdito & desperato selecto-
rum*

rum catervâ separatus, per cuniculos agit, eorumque animos fa-
sciatis, illis modo furias ad se, modo terribiles ad sedu-
cendum inflat & inspirat. Hinc Tyranni & Harocini, ubiq;
terrarum & locorum, magnâ velut agmine facti, exurgunt,
ita, uti videas Ecclesiam Dei ab omni parte circumseptam ab
infidiatoribus & turbatoribus, ut etiam in illam, per quam
in fugam se recipere & seque coram deo posui, vix cernas. Illi
no ere armis, hi erroribus annuntur: Illi afflictionum procel-
lis quassant, hi litibus & altercationibus turbant: Illi sangui-
ne Christiano effuso, terram madefacere, hi unitatem Ecclesie
fatagunt scindere. Rem ita se habere, quid testimonijs opus
est? Defigite modo, *Auditores*, lumina mentis vestrae in secula,
præterita, considerate modo tempora præsentia, & testis vobis
erit experientia omnium testium oculatissima. Primum e-
nim, quod attinet vim ac violentiam, quod genus afflictionum
non fuit tentatum in Ecclesiam? qui exercitus à Diabolo con-
trâ illam non sunt instructi? quæ bella non mota? quot sarta-
gines, catapultas, lebetes, fornaces, lacus, præcipitia, bestiarum
dentes, maria & proscriptiones, aliaque tormentorum neque
verbis memoranda neque factis toleranda genera adversus ge-
nuita & germana Ecclesie membra non usurparunt Tyranni?
Sanè si omnium Martyrum sanguine exundantes torrentes, si om-
nes eorum omnium, qui unquam constanti animo fidem
Christianam sunt professi, lanienas, flammam & aquas, vincula
ac flagella, famem ac sitim adducere deberem, vereor ne annus
nedum unius horæ spatiolum enarrando deficeret! Plenæ re-
hæc sunt omnium temporum tam sacræ quam prophane hi-
storie, quæ ista omnia uno ore cum gemitu ac lacrymis enar-
rant. Quid quod nos ipsi cotidie adhuc, ac vix cum simili un-
quam vel audito, vel viso, vel lecto exemplo partim audi-
mus, partim videmus & experimur Tyrannorum sævitiam,
plusquam inhumanam & bestialem. Nam unde tot An-
tichristi & suorum adherentium bella moderna? unde tot
Jesuitatum, non Jesu sed Jehasi sociorum machinationes &
cruenta

*Chrysoft. or-
rat. secunda
cont. jud.*

regionum vastationes? quàm ex siti inextinguibili, quàm odiò
magis ac Vatinianò, furore magis ac insanò profundere ardet
fanguinem & vitam Christianorum septicollis illa bestia,
Papa Romanus? Videt & videbit porrò Satanas regnum
sui Antichristi indies iri diminutum, adeò, ut fere cum eo
actum sit; quapropter non potest non filium suum perdi-
tionis Pontificem Romanum exasperare irâ & sævitiâ, flam-
mis & armis adversus pusillum Dei gregem, & eò plenè
remisque velisque allaborare, uti regnum suum jam jam ca-
surum erigere & firmare; regnum autem Christi destruere
& deturbare valeat. Adeò à primis mundi incunabulis
usque ad instans temporis punctum semper fuit afflictissima
Ecclesiæ facies propter Tyrannos. Deinde ad litem &
fraudentiam quod spectat, bone Iesu, quàm insidiosè &
malitiosè, quàm tortuosè & anfractuosè se ostendit hic Sa-
tan & sui complices! Hic primitus extremas nervorum in-
tendit vires, uti per hoc stratagema aliquot ecclesiæ mem-
brorum miriades, (nam omnia non potest) avellere, atque
sic totum mysticum corpus ægrotare facere possit. Qua-
rè dolosè per Hæreticos agit, quorum ministeriò Malignus
ille schismata excitat in Ecclesia, ut unitatem corporis di-
strahat: puritatem doctrinæ infestat, ut falsa dogmata im-
misceat. Et quemadmodum impurus & obscæus quidam
scortator virginis cujusdam castitati inhians, eius amoris
compos fieri non potest, nisi blandimentis & lenocinijs:
itâ spurcus ille spiritus Diabolus quoque, sciens neque se,
similiter alio modò fœdum illud semen suum hæresin San-
ctæ & fidei immaculatæ Virginis Ecclesiæ gremio insinuando
facilè ex voto agere posse, castitati ipsius per Hæreticos
verborum palpò adblanditur, efficitque, ut linguâ eorum
melle suaviore hæretica doctrina quoyis venenò nocentior in-
stilletur. Nempe sic verissimè:

Fistula dulce capit, volucres dum decipit auceps.

Quàm fraude & quib. artib. omniū Hæreticorū Patriarcha Diabo-
lus Ecclesiæ plus obest, quàm eū adversus eā per Tyrannos pugnât,
adeò,

Hilar. lib.
ad Const.

Iren. lib. 1.
cap. 20.

adeò, ut magis ille sit metuendus, cum fallit, quàm cū sæviti. Per Tyrannos etenim corpora occidit; per Hæreticos verò animas perdit: per Tyrannos apertò Marte insultat; per Hæreticos verò dolò opertò turbat: per Tyrannos foris sæviti; per Hæreticos autem intra ipsa Ecclesiæ pomæria fallacias suas exserit. Ut ergò bella intestina nocentissima: sic bella in sinu Ecclesiæ excitata, omnium sunt pestilentissima. Utque is, qui gestibus externis se amicum simulat, affectibus autem internis infensissimus inimicus est, majus infert damnum, atque ille, qui ore, corde & opere malefacere studet: sic & Hæretici, qui, teste Hilaro, *amicos se ostendunt & sunt inimici, socios se dicunt & capitale bellum gerunt, Sponsi voces usurpant & meretrices sunt, verbum Dei crepant, & lupi sunt in vestitu ovium*, plus conferunt mali, ac Tyranni hostes publici. Rectissimè ergo Hæreticos assimulaverimus Viperæ: siquidem, veluti hæc matrem suam vitâ privat, pariter illi quoque nostrum omnium matrem Ecclesiam enecant. Tacent neque hîc omnium historiarum & sacrarum & prophanarum recepti annales. Nam ut silentiò involvam inter Hæreticos ex patre Diabolo primogeniti Caini hypocrisin, primi mundi impietatem & barbariem, Ægyptiorum abominationes, Cananæorum, Amalecitarum, Idumæorum, Philistæorum, Ammonitarum & aliorum Ethnicorum idololatriam, de quibus omnibus V. Testamenti codex abundè testatur, recordamini modo, *Auditores*, post Christum natum tempora ad hæc usque, in quibus nos Dei gratiâ nunc vivimus, & catalogum testium habebitis refertissimum. Etenim quæ fuerint in Ecclesia scissuræ & dissensiones, Pharisæorum, Sadducæorum, Hemerobaptistarum, Essæorum, Nasaræorum, Herodianorum, te Christò ipsò Dei Filiò in terris adhuc superstite, Novum Testam: subindicat. Te verò in cælum elevatò, ibique ad Dei dextram collocatò, vah quàm tum grassari cœpit Stygius ille Leviathan sua *ψευδολογία*. Tum enim te modò per blasphemos Judæos, ingratos illos cuculos, modò per Simonem Samaritanum, quem *Irenæus Pater Patrem Hæreticorum Novi Testam:* nominat, & quos habebat asseclas, Ebionem, Cerinthum, Noëtum,

tum, Samosatenum, Arium, Photinum gloriâ & honore Dei-
tatis degradare voluit; modò verò per Valentinum, Marcionē,
Manem, Manichæum, Apollinarem & istiusmodi exsuvas Dia-
boli alias humanitate exsuere & devestire conatus est. Et quid
memorem antiquos multiplicis hæreseos Patronos? inspiciam
præsentem in hoc mundi statu, qui est foex extrema sene-
ctutis ejus, ecclesiæ faciem, & cataclysmus quidam Hæretico-
rum nostris obversabitur oculis.

Quemadmodum enim homo in mortis agone constitu-
tus multis perturbatur Phantasijis: sic etiam mundus interitui
jam jam vicinus, multa patitur errorum somnia. Annon bona
pars mundi in regionibus longè disitis involuta est tenebris
gentilibus? annon plurimi subscribunt Mahometismo? annon
ex imò quasi Orco postliminiò revocantur blasphemæ Arii,
Serveti & Photini voces? annon Anabaptistarum, Svvenc-
feld. Euthusiast. & aliorum fanaticorum delira dogmata mul-
torum occupant animos? annon invaluit Papismus? annon
plenis buccis propagatur Zvvinglianismus & Calvinismus? an-
non regnat in cordibus multorum Epicureismus? Me Christe!
hæc omnia penitiùs inspicienti mihi vix à dolore temperare
queo, quin potiùs suspirium *viri illius Apostolici D. Polycarpi* me
dullitus ingemescendo exprimam: *Deus bone, in qua nos reser-*
vasti tempora! heu quàm tristia, quàm Existica! adeò ad omnium
horum malorum intuitum

*Iren. lib. 2.
cap. 3. Eu-
seb lib. 5. Ec-
cl. hist. c. 20.*

Stat coma, mens horret, flet gena, dextra riget.

Quandoquidem verò in veriverbio dicit solet: Ubi dolor, ibi
manus, vel potiùs, ibi vox; morbis autem chronicis vulneri-
busque Chironijs nulla possunt afferri medicamina, nisi, quod
meliores Medici facere in more positum habent, causâ priùs ac-
curatè cognitâ & expensâ; ea propter ob tristem hanc Ecclesiæ
cōditionem & mei doloris indicem vocem daturus *διάσκεψιν*
hærese-ætiologia sub vestram, *Auditores*, memoriam repo-
nam. Magnam equidem rei molem, quam aggredior, viribus-
que ingenij & facundiæ meæ omnino imparem esse fateor. scio
enim quàm mihi domi sit curta suppellex, & quàm longè
B à me

à me absit omnis ingenij acrimonia, tum etiam filum orationis
 meæ verborum mellinijs, ornatu Delinificò, facundiâ piperatâ,
 cœterisque ornamentis ac venustatibus, quas Oratoria elo-
 quentia requirit, contextum non esse ingenuè agnosco; vestrà
 tamen, *Auditores omnium ordinum Lectissimi*, quot quot mihi
 benignè auscultarè in hoc Clarissimo & Doctissimo ἀνεροαθηρία
 consedistis, quibus Optimi cuiusque voluntatem semper pro
 facto fuisse confido, vestrà, inquam, benevolentiam, tanquam
 secundæ auræ flatu fretus (quamvis non nesciam nec fucis suos
 defuturos esse aculeos,) vela oratiunculæ meæ expandam, eâ,
 quâ possum, reverentiâ & observantiâ vos obtestans, ut favo-
 ris vestri auram aliquantisper mihi adflare, donec cymba hæc
 mea feliciter portum nacta, & in vado posita fuerit, patia-
 mini.

*Virginem puram & illibatam sanctam Christi Ecclesiam man-
 sisse, D. Apostolis pedibus suis mundi oras ac plagas adhuc dimetien-
 tibus, eò, quod tum vel nullis, vel in obscura quadam caligine deli-
 tescentibus impeteretur hæresibus, quæ cum postea, generatione eâ,
 quæ divinam sapientiam ipsis auribus percipere meruerat, per bea-
 tissima martyria deletâ, per illos, qui nudò jam vertice contrâ ve-
 ritatis prædicationem falsi nominis scientiam ex adverso prædicare
 conabantur, pedetentim irreperent, quò magis mundi secula à Chri-
 sti & Apostolorum tempore declinarent, eò plus illam defoedari & de-
 formari incepisse, apud Eusebium scriptum reliquit Hegesippus.*
 Hic verò statim aliquis non immeritò in admirationem adduci
 potest, quâ ratione nimirum fiat, quòd Ecclesia, cui tamen Pa-
 ter Deus est, Sponsus, Dux, Lux atque Doctor Christus, cui Spi-
 ritus S. est obsignatio fidei & arrha salutis, cui sacra Dei scri-
 ptura Lucerna, imò, quæ ipsa Domus Dei est columna ac fir-
 mamentum veritatis, orthodoxiæ heterodoxiam, pietati im-
 pietatem, virtutibus vitia habere valeat intermixta? At verò,
nihil sit sine causa, tritum est Philosophorum ἀξίωμα. Neque
 enim cœcò omninò fortunæ casu & eventu duntaxat, sed certis
 de causis suboriuntur hæreses, quas ut ordine statim videamus
 temporis ratio & rei status postulare videntur. Sunt autem istæ
 duùm generum; *remota aliæ; aliæ verò propinqua.*

Ex re-

Euseb. lib. 3.
 cap. 32. D.
 Pappus in
 Epit. hist.
 Eccles. p. 48.

Ex remotis prima ac maximè principalis est infernalis ille Apollyon Diabolus, velut in limine orationis insimul audivimus. Nam quoniam ipse super fidei fundamenta omnium virtutum fabricam persistere non ignorat, fidei ipsius soliditatem malitiæ suæ manu eradicare festinat. Ille Pater mendacij est, serpens antiquus, totum qui decipit orbem: & quia ipse in veritate non stetit, (quamobrèm etiam de cælo sede beatissima ad imum usque Orci barathum, locum supplicij & æternarum pœnarum detrusus est) homines quoque, quibus tantam beatitudinem, in qua primitus à Deo creati, & ad quam per Christum postea redempti sunt, invidet, à Deo suo Creatore & Redemptore, cui debent sanctam justiciam & justam sanctitatem, avertere, & ex viridibus cœli plantis infelices inferni titiones facere studiosissimè enititur.

Qua de egreditur, ac Spiritus mendax est in ore Prophetarum, 1. Reg. 22. 6. & perstringit hominum oculos atque mentes cœcitate, ne credant, 22. 2. Cor. 4. neque illis oriatur splendor Evangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei; imò, ut Vates Iudit,

*Impastus stabula alta Leo ceu sepe peragrans,
(Suadet enim vesana fames) si fortè fugacem
conspexit Capream, aut surgentem in cornua Cervum,
gaudet hians immanè?*

*Virg. lib. 10.
Æneid.*

Cum primis verò hęc ulcerosò & conclamatò seculò, quando- quidem scit modicum super esse tempus usque ad gloriosum Christi adventum (*nam veniens veniet, & non tardabit*) ingentes concepit iræ ac furoris stimulos adversus humanum genus, eique miseram animarum cladem parat. Ipse ater Spiritus est; idcirco omnia denigrare tentat, cumq; Deus, qui est Author & Fons lucis, homini in prima creatione stolam veritate, sapientiâ, justitiâ, innocentiâ, sanctitate & immortalitate dealbatam induit, ille hunc colorem pati nequit; quocircà undiquaque circumspicit, quomodò stolam illam, si non totam exuere, ad instar tamen sepiæ atramentò mendaciorum, injusticiæ & aliorum vitiorum spurcare possit. Præterea & mille ille artifex est, unde etiam habet.

*Apoc. 12.
v. 12.*

A 2

nomina



nomina mille,

mille nocendi artes, fecundum & crimine peccus.

*Ovid. 8 Me-
tam.*

Nam perinde ac serpens varius est in coloribus: sic ille varius est in erroribus, & velut Dædalus ille apud Ovidium,

*Ponit opus; turbatq; notas, & limina flexu
ducit in errorem variarum ambage viarum.*

Quibus omnibus accedit & hoc, quòd optimè callet sese insinuare genio & ingenio hominum, quorum temperamenta, mores & instituta sagacissimus ille naturæ interpolator æquè, ac suos, quod dicitur, digitos, novit. Hinc quos nimium indulgere rationis suæ proripio, summaque & non nisi solâ ac simplici fide comprehensibilia Dei mysteria intellectus sui decem-pedâ metiri conari videt, illis hæc eadem tam suspecta, absurda & odiosa reddere novit, ut nihil supra. Et hoc strata-

*Socinus in
libello s6a-
sorio p. 28.
29.*

gemate plerunque in pervertendis Calvinianis & Photinianis uti solet. Hi etenim, dic sodes, cur Deum esse Triunum & Unitrinum, etiam contra apertissima Scripturæ Sacræ testimonia in tanta lucis claritate posita, ut vel aureis Solis radijs videantur scripta, negant, quàm quia hoc credere non est rationi consonum? Sic enim *infaustus ille Faustus Socinus* blasphemò non

erubescit scribere calamò: *Quod attinet ipsum communè sensum, nemo est tam stolidus, qui non videat hæc inter se pugnare, illum Deum nostrum cæli terræq; Creatorem esse Unum tantum numero, & tamen tres esse, quorum Unusquisq; sit Deus noster.* Et iterum: *Contradictionem implicat, Divinam Essentiam Unam tantum nu-*

*Schimb. in
præfat. su-
per refut.
Carolii,
f. 11, 4.*

mero esse, non tamen Unam tantum Personam esse Divinam, sed plures. Cui & alius Photini Socius succenturiatur, dicendo: *Fides nunquam complectitur impossibilia mentis.* Id quod annon sit Scripturam manifesti arguere mendacij, & ore in cælum usq; extensò Deum contumelijs proscindere, cujuslibet pij ac cordati iudicio committo. Illi autem, quos Spiritus vertiginis Zvinglianus & Calvinianus in gyrū nimix sapientiæ, hoc est, insanix & stultitiæ circumvolvitur, nō ex alio similiter fundamento inficiantur Christum, quā est Deus ante secula Benedictus, & verus Homo in tempore natus, unā eademq; præsentia totū implere cæli terræq; circulū, quàm quia & hoc à ratione deviū est, nec ab intellectu capi potest. Notissima enim, quia usitatissima, sunt illorum

illorum verba, quando ita blaterant: *Impossibile est, ut unum numero corpus, certis naturæ limitibus circumscriptum, in pluribus uno & eodem tempore possit esse locis.* Adeò propter nimium rationis indultum fufurrò Diaboli, homines rapiuntur in pugnam ineundam contrà Deum & Christum ipsius. Eundem in modum & aliorum captui, quorum animos, illò, quod antiquum est, explosò, novitatis aviditate ardere, & non tam doctrinæ cœlestis medullam quàm corticem respicere, juxtimque pompâ & splendore externò gaudere astutissimus ille hostis animadvertit, ità sese accommodare didicit, ut in fingendis & pingendis fabulis merè anilibus nusquam & nunquam desinat, & eis veritatis specimen obliniat, pompam quoque Ecclesiasticam tam miris ritibus variegatam visuque splendidam in profcenium producat, ut histriones potiùs videantur agere in Ecclesia, quàm cultum sacrum piè & decenter administrare. *Papistas me ferire, Auditores, percipitis.* Quid enim hi aliud strepunt & crepant quàm traditiones Patrum; quibus tamen illæ quas ipsi prætendunt, ne per febrim ab ipsis somniatæ, sed ab otiosis Monachis in luxuria & crapula excogitatæ, Ecclesiæ sunt subtrusæ? Pompam verò rituum suorum Ecclesiasticorum, hui^{us}comunt, quàm poliunt! Nam sine ea veram Ecclesiam, quippe cuius *τεκμηρίων* genuinorum ac priorum unum primarium etiam illam agnoscunt, subsistere non posse autumant, quâque quascunq̃ alias destitutas spurias & adulterinas esse clamitant. Tàm veteroteriè igitur agit internecinus ille hostis Diabolus cum genere humano, non solum hominum corpora per bella & alias afflictiones mūdantæ hujus lucis aurâ, *Ioh. 8. 5. 44.* sed & eorū animas per virus hæreticū futuræ lucis cœlestis usurâ privâdo, uti meritò homicida ab initio ab Evangelista sit dictus.

Altera hæreseως causa remota sunt homines ipsi, & quod largiter profusis deplorandum est lacrymis, non quidem illi, qui foris extra ecclesiæ gremium, sed qui in ipso eius meditullio vivunt. Cùm n. homo homini debebat esse Deus, Dux in errorib9, Lux in tenebris, præfidiū in lapsu; cōtrariū citiùs evenit, & homo homini fit Lupus, tantūq̃; abest, ut alter errore imbutus ab altero eò eximatur, ut potiùs seductus magis seducatur, cœcus magis occœcetur, labenti in majorem & graviolem lapsum adhuc pes objiciatur.

ψ. 46.

v. 5.

Apoc. 21.

v. 10. seq.

Qui sic verò, cogitabit aliquis? Mira quidē, favor, hæc res est, at-
tamen, proh dolor! verissima, uti ipsa testantur Ecclesiæ vulne-
ra. Ecclesia est quædam civitas Dei, teste scriptura, cuius cives
sunt omnes, quotquot in lavacro regenerationis Deo nomē vo-
tumq; dedere. Hæc autem Civitas oppugnatur a Principe tene-
brarum Satana & suis Satellitibus, velut operosè dictū. Hic er-
gò maximoperè opus esset inter cives pace & cōcordiā, eò quòd

Unita durant longiùs.

Unita constant firmiùs.

Sed quid sit? cædibus mutuis seipso interficiunt, in viscera sæ-
viunt, socius socium, manipularis manipulare lædit & per-
cutit; aut, si forsan hostis uni atque alteri vulnera inflixit, tum
Comilito proximus insilit adhuc, & jacentem non erigit, sed
supprimit; non sustentat & sublevat, sed calcat & supplantat,
ità ut cum *Didone Virgiliana* exclamare liceat:

Nusquam tuta fides:

Vel illud Ovidianum usurpare:

Nec est hospes ab hospite tutus,

non socer à genero, fratrum quoq; gratia rara est.

Neque hoc sufficit: siquidem multi etiam fraudulenter agunt,
& dum Ecclesiæ debebant esse Propugnatores, fiunt ejusdem
proditores, atque ex certamine evadentes & erumpentes, exe-
crabili apostasiâ hostibus veritatis totos sese dedunt. Quid ve-
lim, *Auditores*, intelligitis. Scilicet hoc ipsum doleo, quod ij,
qui junctim in Ecclesiæ amplexum per baptismum sunt recepti,
quosque hanc ob rationem junctis viribus & vocibus contra
Hæreticorum Promachum Diabolum & suos Consortes dimi-
care & pugnare oportet, ipsi propria, uti in proverbio est, vine-
ta cædunt, ac sibi invicem hæreseos excitandæ ansam præbent.
Id quod illi faciunt, qui de levissima & vel Siculis gerris vanio-
ne causa quadam, in qua licet utriusque litigantium partis opi-
nio citrà alicujus articuli fidei jacturam sæpissimè posset recipi,
studiò tamen altercandi & contradicendi vel Acheronta mo-
vent, inq; diversissimarum abeunt sententiarum cornua. Quò
incendiò factò, nunquam viscera sunt benigna, nunquam la-
crymæ misericordes, expirarunt admonitiones amicæ, invalu-
erunt rixæ, alter alterū nō fraternè corrigit, sed eludit, multis-
que

que opprobrijs afficit, adeò ut illud vulgare: *Criminor te & cri-
minor à te*, probè exerceatur. Re autem universâ exactiori pon-
deris lance exploratâ demum, inimicitiarum hic plerumque
terminus est, ea loqui, quæ delectationem habent, hæc quoque
causa præclara scilicet, nō convenire sive velle sive posse sententiæ.
Verùm enimverò quantum subest discordijs istiusmodi
in saniore ac puriore doctrina periculum! Discordiæ prima
sunt hæreseos semina, quæ Satanas inter homines cùm vult se-
ducere, spargere solet, premens hac in re vestigia sapientis cu-
jusdam Ducis, qui in hostes tum irruit, cum dissensionum fo-
mites jam jam flammæ concipiendos inter se alunt, ideò, quòd
disjuncti feliciùs, concorditer verò juncti & devincti difficiliùs
superari queant. Nam, ut *Hugo* dicebat, *novit abjuratissimus ho-
stis per unitatem concordie filios Dei congregari in unum: quare ni-*
nihil tantepere metuit, quam concordie vinculum. Eandem pari-
ter sententiam fovebat *Mellitissimus Bernhardus* his verbis: *Pa-*
rum, inquiebat, timet Diabolus jejunantes, Continentes, Vigilan-
tes, quia de illis omnibus multos traxit in laqueum ruinae; sed Con-
cordes & in domo Domini Unanimes viventes, conjuncti Deo & sibi
per vinculum charitatis, hi dolorem, hi livorem, hi timorem Diabolo
inferunt. Cum pace Deus est & omnis generis quæ ab ipso pro-
ficiscuntur, bona; mutuus videlicet hominum amor, unicuique
suum tribuens justitia, & quod inter cœtera jure suo familiam
ducit, ac

*Selnecc.
Comm. su-
per. Ps. 133.*

quantum lenta solent inter viburna expressi,
caput erigit, Sacrosanctum Dei verbum, quò præsentem veritas
fervet, quò absente, ipsa friget. Cum discordia verò Diabolus
est, & cuncta, quæ ad ipsum tanquam primum Authorem re-
spiciunt; nimirum iræ & invidia, injusticia & rapinæ, quibus
accedit vitium omnium vitiorum pessimum mendacium, quò
radices agente, nihil tam Divinum, tam firmum, tam veritati
consonum est, quod ab ipso non infringatur & infirmetur.
Verissimum enim illud metricum:

Virg. Ecl. 1.

Verbi divini concordia nutrit amorem;

Verbi divini discordia solvit amorem:

Item:

*Immensus sicut lapis integer innatat undis
Tyrrhanus, fractus sidit & ima petit:*

Sic

*Sic Jovæ verbum concordia sustinet alma,
It pessum, lis si dissociare velit.*

*Salust. in
jugurth.*

1. Cor. 3. v. 6.

*D. Pelargus
in plei: O-
rat. sac. O-
rat. 2.*

*2. Tim. 2.
v. 20.
1. Tim. 3.
v. 15.*

De Syrtibus in Africa publicæ historiæ relictum habent
tabulæ, quòd, quando homines eò navigando veniunt, recipro-
cantium arenarum æstu obruantur & suffocentur. Ex syrtibus
illis una quoque est discòrdia, in quam si homines dilabuntur,
mutuæ altercationis æstu, quasi sibi invicem inflictis vulneri-
bus, conficiuntur. *Væ ergò illis, qui oderunt unitatem Ecclesiæ, &
partes sibi faciunt in hominibus, audiant, moneo, illi eum, qui omnes
vult facere in uno unum, quiq; dicit: Nolite vos facere multos: Ego
plantavi, Apollo rigavit, Deus dedit incrementum: in uno estote, u-
num estote, unus estote:* quò fulmine, quaque salutifera admoni-
tione magni illius Ecclesiæ Luminis Augustini hoc membrum mi-
hi liceat concludere.

Tertiam hæreseos causam remotam Deo, non ut causæ
impellenti, sed permittenti adscribimus. Deus enim Ter Opt:
Max: gravissimas, quas propter Diabolo damnatâ sua hæresi
tantas in Ecclesia movere turbas non resistat, habet causas, è
quibus non omnes, sed quæ quid momenti habere videbuntur,
audiamus. Prima hæc est, ut Ecclesia Dei per hæresin eò magis
conspicua & manifesta fiat in mundo. Συμβόλων, quibus Eccle-
sia Dei discernitur ab aliorum populorum congressu primari-
ū: etiam hæc est, ut ad eam oppugnandum turmatim & sturna-
tim prorumpant Pseudo-prophetae. Quemadmodum enim
in ovile vacuum non irruunt lupi: ita nec in populum planè
ἀθεον & impium profiliunt hæretici. Et sicut in magna quadam
domo æquè testacea ac aurea inveniuntur vasa: simili ter in ma-
gna & ampla illa Dei domo Ecclesia non solū homines γνησίως
probæ veræque fidei & sanctitatis, sed & stupendi erroris & hy-
pocriseos exhibentur. Perdix avis non suis sed alienis incuban-
do ovis provocat & producit pullos: sic & stygia illa perdix
Diabolus non nisi ex Ecclesiæ ovis ab ea ex incorruptibili semi-
ne Verbi Divini virtute Altissimi conceptis atque partis exclu-
dit hæreticos. Musca nihil citiùs suò defoedat stercore quàm
lintheum purissimè lavatum & purgatum: Ità quoque inferna-
lium muscarum princeps ille Beelzebub cœnò suò hæreticò
non

non alios quam lavacrò regenerationis rursus mundatos & albâ veste innocentiae Christi indutos Christianos afficit & con-
spurcat. Arca illa Noachica, tempore diluvij primi mundi, quò
plures illic affluebant aquæ, eò magis in apricum extollebatur: *Gen. 7. 17.*
eòdem modò etiam Ecclesia Dei, cujus illa typus fuit, quo plu-
res in illam impetunt aquæ afflictionum & undæ hærese^{um}, eò
magis emergit & apparere incipit. Deinde Deus ideo etiam
hæreses suboriri permittit, ut veritas verbi divini eò magis in-
dè illustretur. Nam *veritas elucescit magis impugnata*, inquit, *lib. 7. Conf.*
Pater Augustinus. Et veluti ex duobus duris lapidibus contritis *cap. 19.*
elicitur ignis: ità ex sententijs inter sese in utramq; partem ven-
tilatis promicat veritas. *Mel omnibus hominibus dulce esse vide-*
tur, etiamsi cum nullo conferatur; sed dulcius esse apparet, si amara
qualitas juxta ipsum statuatur: Sanitatem insimul valdè diligen-
dam esse omnes existimant, sed post morbum multò magis retinen-
dam & conservandam esse statuunt. Purificatione veritatem, quicun-
què sapiunt, rem sedulo comparandam singuli intelligunt, ea tamen
divinior & splendidior, si cum ea id, quod falsum est, conferatur &
examinetur, redditur, quemadmodùm *Theodoretus* profundis-
sima sui animi sensa hac de re his verbis declarat. Præterea, Deo *In præfat.*
Directore & eò facit hæreticorum copia, ut somnò Epimenidis *divinorum*
excusò, de ignavia, ad majori cum circumspectione salutis no-
stræ invigilandum, nos eò cautiùs à falsis Doctoribus & Pro-
phetis subducendum, veritatem amandum, partesque vocatio-
nis nostræ diligenti studiò expediendum nostra excitetur indu-
stria. Cùm enim omnia pacata sunt, securitas citò nostros
occupat animos, ut in utramque aurem dormianus, nihil,
vel parùm solliciti de rebus nostris, benè an malè sese habeant.
Cum primis a. in Ecclesiæ excubijs peragèdis res ea maximè pla-
na est, siquidem de ea, testimonium perhibente cotidianâ ex-
perientiâ, inter rosas & violas constituta somnolentam admo-
dùm gerunt curam, sive sint oves sive Pastores: illi quidem ut
lupos fugiant, hi, ut eos ab Ecclesia arceant. Ut igitur de fo-
cordia ista sua sibi omnes tandem erubescant, & se perichitari
sentiant, Deus Hæreticorum molestias excitat in Ecclesia, quo-
rum sepè iteratò nocendi studiò atque conatu erecti, ad se de-
fenden-

fendendum animentur. Stomachus fastidiò corruptus, si ei
 cibus salutaris aliquandiu subtrahitur, illum demùm rursus
 appetere incipit: Simili quoque modò homines, quibus ver-
 bum Dei, cœlestis ille cibus mannaque spiritualis nauseam cre-
 at, cum fures Hæretici veniunt, & ad tempus illud suffuran-
 tur, fame illius inexplebili iterum conceptâ, deinceps avidiùs
 esurire, esuriendo desiderare inchoant. Inter has & alias po-
 stremò & hæc causa existit, quòd Deus hæresin accrescere finit
 in Ecclesia, ut ea ipsa hominibus eò plus fiat exosa & odio-
 sa. Nihil tam infensissimò prosequimur odiò, præterquam
 id, quod nocet. Hæresi verò quæ bestia truculentior, quæ
 pejor? Ipsa enim eruca quædam est, quandoquidem, uti hæc
 arborum flores in horto, ita ista Christianorum fructus rodit
 & absomit in Ecclesiæ pomærio. Vulpes est, quia vulpino
 more, hoc est, subdolè infidiatur Ecclesiæ. Anguis est, siquidem
 ubicunque tacta pungit. Monstrum ergo hoc pestilentissi-
 mum quis non abominabitur, quis non execrabitur? Quæ cum
 ita sint, bene & iterum benè nobis de tam Sapiientissimo & Cle-
 mentissimo humani generis Provisore! Diabolus hæresin se-
 minat, ut verbum Dei supprimat; Deus autem illius hæresin,
 crescere finit, ut semè verbi sui eò altiùs extollat. Diabolus mē-
 daciõrũ tenebras offundit, ut veritatis lucẽ obfuscet; Deus au-
 tẽ ipsas etiã tenebras dissipare novit, ut lumen veritatis in lege
 sua eò clariõ splendeat. Diabolus homines somno obruit ut eos
 perdat; Deus autẽ eos exfuscat, ut salvet. Diabolus quærit sibi
 amorem hominũ, ut acuat in ipsos Dei odiũ; Deus verò armat
 homines in ipsius odiũ, ut eos immergat in amoris sui abyssũ
 Adeò exuberat & multiplex Dei gratia est, ut etiã id, quod ini-
 micus Diabolus machinatur in exitium, ipse convertat in ad-
 jutoriũ! Quare verissimè de Deo nostro *Beatissima memoria Pater*
August: ad hũc modũ scripsit: *Non sineret Deus bonus quicquã fieri*
malè, nisi Omnipotens de malo etiam facere posset benè. Et iterum:
Multa quidem sunt à malis contrã voluntatem Dei; sed tanta est
ille sapientia, tantaq; virtutis, ut in eos exitus & fines, quos bonos
& justos ipse præscivit, tendant omnia, quæ voluntati eius videntur
adversa. Cum illo consentit Paulus Aquileiensis ita ajens. *Altã*
dispen-

Enchri.

ad Laur.

cap. 100.

lib. 22. de

C.C. Dei,

cap. 1.

dispensatione nonnunquam agitur, ut unde cadere ad ruinam time-
tur vacillantibus plantis, inde valentius roborata, firmiter incon-
cussè persistent: Et antiquus hostis; unde se vicisse superbè gloria-
tur, inde divinâ superatus potentiâ, se succubuisse doleat prostra-
tus.

D. Pelar-
gus in O-
rat. plei:
Orat. 2.

Hactenus remotæ hæreseos causæ: restant propinquæ, quas
mecum delibare saltè, ne sit vobis molestum, *Auditores*, iterum ite-
terumque peto. Inter has autem primū obtinet locū *Φιλοδοξία*,
ambitio sive superbia, omnis mali dives illa scaturigo & peren-
ne aquilitium, nec non, ut *mellitissimus Bernhardus* de ea sentit, *Comm. in*
radix illa iniquitatis, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, *ψ. qui ha-*
mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminis fons, *bitat.*
virtutum arugo, tinea sanctitatis, exæcatrix cordium, ex remedijs
morbos creans, generans ex medicina languorem. Nam hæc non
solum in Politicorum & Aulicorum regnat area; sed, ut *sanctus*
ille Martyr Cyprianus suum de ea fert iudicium, *in sacerdotum*
quoque dormit sinu, ubi sub umbra recubat & in secreto thalami se
fraudulenter occultat.

Præcipuè verò illos inter alia tanquam Pandora hæreseos ob-
sidet & per ipsos religionis nostræ anchorâ fidē Christianā suō
fundamine, quod est Petra Christus, eruit & evertit: siquidē jux-
tā *Sapientissimi Regis effatū, inter superbos semper jurgia. Cætera vitia* *Prov. 18.*
fugiunt à Deo; Superbia autem sola se opponit Deo, inquit *Boetius.*
Et ut dolia plena parum, inania multum resonant: ita animi
hominum superbiæ flatu turgescit veritatis & pietatis inopi-
am, erroris verò & impietatis redundantiam subindicat. Te-
stantur id ipsum veteris memoriæ scripta abundā relatione.
Ecquid enim Arium, & Nestorium ad inficiandum Christum,
esse natura verum & æternum Deum incitavit? sola super- *Vid. D.*
bia. Quid Basilidem, Carpocratem & quos habebant, *Pappus in*
complices impulit, ut se Christo, Paulo, cœterisque Apo- *Epit. hist.*
stolis præstantiores assererent? Sola superbia. Quid Pau- *Ecc. p. 298*
lum Samosatenum instigavit, ut se tanquam Angelum coli *367. 397.*
præceperit? sola superbia. Imò quid in causa, quod inter ipsū *405.*
Apostolorum chorum hæretica & carnalis illa opinio de mūda-
no Messia regno obtinuit & ferè radices egit? sola superbia.

O superbia, quas plagas Ecclesiæ tu non attulisti! omnium Hæreticorum Coriphæum Diabolum è cœlo ejecisti, ejectum ingenus humanum erexisti, erectum animasti, animatum armasti. Etenim sicut aër visceribus terræ inclusus tandem erumpit & ingenti motu terram quatit & contremiscere facit: sic etiam tu superbia, membris Ecclesiæ implicata, prorūpis tandem, & Ecclesiam omnis generis malis concutis & ferè evertis. Et, ut paucis multa comprehendam, quod quæso peccatum ullum unquã in Ecclesia sine superbia esse potuit, hodienum potest, & imposterum poterit? nullum certè. Nihil enim magis Virtuti & Veritati aditum præcludit quàm superbia, adeò, ut rem acú, quod dici consuevit, tetigerit Isidorus de ea sic loquens: *Omnis peccans superbus est, eò quòd faciendo vitia contemptui habet divina præcepta.* Quamobrem neque superbia sola est hæreseων causa, sed duas adhuc habet à tergo pedissequas, ex quibus similiter hæresis prognascitur. Prior *Φιλαυτία* est, quã sibi Gnostici & nasutuli quidam incomparabilem persuadent sapientiam, quasi præter illos nemo inveniretur, penes quem claves scientiæ & intelligentiæ rerum divinarum sacris biblijs contentarum essent repositæ; cœteri autem viri etiamsi Doctissimi, Acutissimi, Làudatissimi, inter *θεοσοφῶν* fæces & quisquilias haberi deberent. Unde fit, ut, si homines ejusmodi eminùs saltem & quasi per trāsennam sacras inspiciunt literas, statim earum cognitionem penitissimam & omnibus numeris absolutissimam sibi imaginentur; ubi tamen nec apicem, ne dicam sensum, intelligunt, nec quid antecedentia & consequentia importent, ponderant & agnoscunt. Ut verò quid antiqua & sapiens Vetustas, quid alij viri Clarissimi & Literatissimi de hac vel illa sentiant pericope biblica, attendant, vah, quàm altò tales despiciant superciliò, & quàm scoticò excipiunt cachinnò! suæ potius fingendi indulgent libidini, suum coronant asinum, suas novas, inauditas, absurdas, blasphemias sententiarum conscribunt glossas, easque pro genuinis & ad literam proximè accedentibus venditant Sacræ scripturæ interpretationibus. Vivo nobis exemplo sunt moderni Photiniani: Hi enim quàm depravant scripturam, quàm sordet illis in sacris literis fundata antiqua

Isid. lib. 2. de
Sum. bono
cap. 38.

qua veritas, quàm ridicula est eis aliorum virorum Eruditissimorum cum ista conformitas, quàm placet propria excogitandi dogmata novitas!

Scilicet hi soli sapiunt, velut umbra feruntur,

Si qui sunt reliqui.

Nullum enim fidei articulum malè illi feriatu indepravatum, relinquunt, in quo non discordent à Veterum semper recepta & suâ quasi canicie venerabili sententia, etiam nulli sibi ducentes, religioni, Christum & Apostolos ipsos execrabili planè audaciâ conari de ponte, quod aiunt, præcipitare, & in manifestissimis verbis, horrendum dictu! mendacij convincere. Non immeritò igitur de eis repetere possumus, quòd de Harpiis cecinit *Virgilius*, nimirum quod in Ecclesia

Tristius haut illis monstrum nec sævior ulla

Pestis & ira Dei Stygijs sese extulit undis.

*Virg. lib.
3. Ænen.*

Sicùt enim Harpyæ omne, quod tangebant, uncis suis manibus diripiebant: ità & isti homines in quemcunq̃ue incidant fidei articulum, illum aureâ suâ veritatis catenâ ex divinis Oraculis tanquàm membris in unum corpus coaptatis firmiter coherente, Theonino dente dissolvere & disjicere sibi præsumunt. O verò deperditissima ingenia? O infelicissima Ecclesiæ flagella! itane vobis contemptui est, quod antiquum? an nescitis, quod omne antiquissimum verissimum? itane vobis jucundum & virile videtur oppugnare Christum? annon legistis, in quanto honore & dignitate ille habeatur à Deo Patre suo & omnibus Cælicolarum ordinibus: quantâ virtute, quò robore polleat apud universas creaturas & in cælo & in terra? Respicite, moneo, & frœna injicite maligno & blasphemio ori vestro, ut ne cum *Nadab & Abihu* ab igne cælo de lapso comburamini, cum *Corah, Dathan & Abiram* terræ voragine absorbeamini, nec non easdem, quas Antesignani vestri *Cerintus, Arius, Photinus*, Deo dabant pœnas meritissimas & ipsi cum gemitu & fremitu, stridore & horrore sentiatis. Sed vereor, ut inveterata malitia vestra possit corrigi, quin potiùs vobis accidat, quod cibo nimium sale condito evenire solet, qui sicùt ad temperatum saporem reduci nequit, sic & vos, quia supra modum

Matth. 3.

v. 17. cap.

28. v. 19.

Hebr. 1. c.

2. v. 6. seq.

Lev. 10.

v. 2.

Num. 16.

v. 31.

Deut. 11.

v. 6.

Iren. l. 3. c.

3. D. Pap-

pus in E-

pit. hist.

Eccl. p.

sensu 303. 410.

Greg. Ma
gnus lib.
32. Mor.

sensu vestrò abundatis, ad sanio-rem mentem vix ullâ ratione revocari possitis. Imò quia error vester à vobis virtus esse putatur, Gregorio Magno iudice, admodùm difficulter etiam emendabitur. Tam ergò desperata res est cum ijs, qui neglectâ manifestâ scripturâ, eiusque sanâ ab antiquis datâ & inventâ interpretatione suo ingenio plus debito fidentes, propria sequuntur deliria. Posterior superbiæ pedissequa, quæ hæresin gignit, est primatus & dominiij affectatio. Honores enim, quemadmodùm in civili conversatione plerunq̃ue mutant mores decentes in morositatem, sic quoq̃ue in Ecclesiastico regimine non rarò religionem puriorem invertunt in errorem. Et ut simplex veritas in simplici & abjecto latet: ità hæresis in elato & dignitatis fastigium contendente eminere gaudet.

Luth.
Comm. in
cap. 16.
Gen.

Hinc scitè & graviter *Megalander noster Lutherus* quodam in loco scripsit: *sunt duo hæc quasi sorores & gemellæ, contentiones de primatu & hæreses.* In quam sententiam & *D. Hieronymus* annotasse fertur hæc verba: *superbia natione cælestis sublimium appetit mentes, ut quos invenit participes nature, faciat consortes ruine.* In exempla vultis, ut & hîc eamus? Ecce confestim in conspectum prodeunt nostrum Pontifices Romani, qui quò per altiores gradus ad Ecclesiæ dominum sunt evecti, eò majorem sibi sumpserunt licentiam, non pro ratione sed pro lubitu nova & hæretica dogmata cudendi, juxta vulgatum illud:

Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.

Alius enim, ereptis Laicis, ut vocant, biblijs, traditiones humanas supposuit: alius ut cultus & honor soli Deo debitus etiam sanctis exhiberetur, mandavit: alius, ut conjugium aboleret, vitam monasticam instituit: alius, ne haberet, qui suæ libidini quodvis in Ecclesia immutandi resisteret, supremo Magistratui summam rerum omnium potestatem manibus excussit, sibiq̃ue attribuit: alius Laicis benedictum panem, qui est communicatio corporis Jesu Christi Salvatoris nostri unici suffurando, cœnam Dominicam illis sub una specie administrare jussit: alius, ut fidei Papalis fundamentum poneret, semetipsum supremum controversiarum judicem & infallibilem sacrarum literarum interpretem, qui earum genuinum intellectum in scrinio peccatoris, pectoris volebam dicere,

cere,

cere, habeat reconditum, quiq̄ue errare non possit, substituit: alius alia addidit, & fere nullus ex eorum numero fuit, qui non novum & peculiare quid vel nullâ sibi præeunte verbi divini literâ, vel eâ in totum corruptâ, excogitarit, hominibus q̄ue aut faciendum aut credendum imposuerit. Quæ omnia errorû & abominationum Papalium quasi sentina & cloaca, salvâ reverentiâ, jure appellari possunt; quas tamen longè graviores & horribiliores fore, si Ecclesia diutiùs morbô superbiæ laboraverit, dixero. Id verò ne fiat, ut superbiæ cristas deponamus, Veritatis divinæ & Ecclesiæ verè Catholicæ extrema imminens πανωλεθρία summopere flagitat.

Secundum inter causas hæreseos propinquas locum occupat Φιλοπλυστία Avaritia, mater illa, ex mēte Petri Ravennæ, *Nicol. Reusn part. 2. symb imp. symb. 36.* transgressionis, magistra nocendi, primipila iniquitatis, auriga malitiae, sicaria virtutum, seditionis origo, fovea & metropolis omnium scandalorum. De hac enim gentium ille Doctor ex dictamine Spiritus Sancti calamô ita excepit: *Radix omnium malorum I. Tim. 6. 6. 10. avaritia est. quam quidam appetentes erraverunt à fide & inseruerunt se doloribus multis.* Et quemadmodum spinæ semen boni fructus suffocant in terra: sic avaritiam extinguere semen bonæ doctrinæ in Ecclesia, parabolicè alicubi docuit *Salvator noster.* In specie verò sacer codex avaritiam vocat idololatriam, quia avari tota spes atq̄ue fiducia in divitijs & opibus est posita, quibus ille cor apponit, quas colit, exolculatur, amplectitur. Id quod eleganter per comparationem docet *innocentissimæ vitæ Pater Innocentius*, cùm inquit: *sicut idololatra servit simulacro: sic avarus servit thesauro. Namq̄, ille cultum idololatriæ diligenter ampliat, & iste cumulum pecuniæ libenter augmentat: ille omni cum diligentia colit simulacrum, & iste omni cum cura custodit thesaurum: ille spem ponit in idololatria, iste spem constituit in pecunia: ille timet mutilare simulacrum, & iste timet minuere thesaurum.* Imò quæ causa alia est sæpissimè ἀποσασίας, nisi avaritia? Quandoquidem enim ibi, ubi Christus habitat, res angusta domi est, multi delitijs assvefacti & luxuria carnis depravati miseram istam conditionem ferre non possunt; idcirco Hæreticorum, imprimis Papistarum, fertilibus & pinguibus allecti ferculis, fœdus cum Deo in baptismo semel in initum

Nicol. Reusn part. 2. symb imp. symb. 36.

I. Tim. 6. 6. 10.

Matth. 13.

Eph. 5. 6. 5. Of. 8. 6. 4.

Innoc. lib. de miser: condit: hum:

initum frangere, & ex ipsius regno in regnum Satanæ turpi apostasiâ se recipere non verentur. Quæ in re exemplum sequuntur Israëliitarum ex fornace & idolomania Ægyptiaca à Deo mirabili & potenti manu liberatorum & in desertum introductorum, quibus cum ibi aliquando cibus deficiebat, cum Deo non contenti fremebundi adversus Mosen & Aaronem.

Exod. 16. insurgebant, dicentes: *Utinam mortui fuissetus manu Iehovæ in terra Ægypti, ubi assidentes carniū ollis, comedebamus panem ad saturitatem:* Similiter enim & multi hodiernum ex servitute & idololatria Romano-Ægyptiaca à Deo redempti, inque Christianam libertatem restituti, quando inopiâ rerum vexantur, subito Deo insultant ei que servitium & famulitium renunciant; quapropter etiam cum Isrêlitis ollis papalibus carnibus refertissimis partim accumbere optant, partim etiam planè ad papatum cum summo & æterno animarum suarum dispendio transmigrant. Quæ verò pestis nocentior est, quàm apostasia deficere à Deo? Deus etenim perfectissimum & summum Bonum est: *hunc qui habet, omnia habet; ab hoc vero quicumque deficit, in perniciem ruit; ab illo averti cadere est; in illum vero converti resurgere, & in illo manere consistere; ipsum nescire mori; nosse autem vivere est; eum spernere perire, ei vero servire vivere & regnare est,* uti suavissimè vocalis illa Ecclesiæ tuba D. Augustinus

Aug. lib. 1. loquitur. Totum hoc D. Ambrosius ambrosijs his complexus est

conf. c. 4. verbis: *Qui pecuniam appetit, inquit fidem perdit; qui aurum redigit, gratiam prodigit: avaritia enim coecitas est, errorem religionis inducit. Ceca est, inquam, avaritia, sed diversis fraudum oculata ingenijs, non videt, quæ divinitatis sunt, sed cogitat, quæ cupiditatis sunt.* Idem nervosè indicavit Magnanimus ille Leo, cum dixit: *Foenus pecunie est funus anime.* Idem quoque D. Augustinus voluit hoc iterum aphorismò: *Lucrum in arca damnum est in conscientia.* Quæ cum ita sint, fugiamus avaritiam, ut hamū piscis, nam & ipsa quasi hamus Diaboli est, dum capis, ab ipso caperis, dum lucraris pecuniam, ipse lucratur tuam animam.

Tertiū inter Hæreses causas propinquas quæ succedit, est Scripturæ Sacræ & liberalium artium contemptus earundemque

demque supina evolutionis & scrutaminis negligentia. Sacram quod attinet scripturam, Papicolæ, uti de istius authentica & divinam Majestatem redolenti authoritate omnibus modis quicquam ausi fuisse videatur detrahere, ad alia scommata, quibus eam afficiunt, etiam hæc adjiciunt, ut eam vocitent officinam Hæreticorum, seminarium controversiarum, materiam litis, nasum cereum, regulam Lesbiam omnibus doctrinis adaptabilem, non se satis calumniatos esse existimantes, eandem judicem surdum, literam mortuam, folia Sibillæ, sphyn-gis ænigmata, Evangelium nigrum, Theiologiam atramentariam, chartulas, macro cola, membranulas, fabulas Æsopi & aliter appellasse. At verò quæ hæc blasphemia contra Deum & ipsius verbum? num hæc tantum putatis, Papicolæ, sufficere dicta esse, nondum tamen probata nec in æternum probanda? affingitis illa sonora & aperta mendacia Sacræ scripturæ, quippe quæ ab illis adeo tersa, pura ac incorrupta est, ut splendidissimi radij solis ab omni immundicie ac corruptione terrena. An putatis vos impunè has in Sacro-sanctum Dei Verbum effutitas calumnias laturos?

Percipit auribus, & cernit Deus omnia acutè

atq; gravi pœnâ justè impia vindicat osor:

Vindicabit igitur & has injurias sibi in Verbo suo à vobis factas. Quoniam enim Jehova verbum suum partim ipse propriam manu exaravit, partim ori & calamo Prophetarum & Apostolorum dictitavit, adeo, ut illud nihil aliud sit quam quædam epistola magni illius Dei Regum Regis, & Dominantium Domini, in qua nobis suam voluntatem exposuit, & quid nobis sit tū credendū tū faciendū præscripsit, quomodo Deus ipse, si sua epistola est Hæreticorū officina, liberabitur ab Hæreseos causa? O summa Antichristiana blasphemia summis & æternis pœnis luenda! ô absurdorum absurdissima papistica absurda! Nos verò aliter ab ipsa sacra scriptura edocti, & à nostra conscientia evicti, scimus & credimus, illam esse ipsam Dei invictam & æternam veritatem, quippe quæ non vox quædam ex Trophonij antro aut Apollinis tripode prolata, sed ipse Dei sermo est, de quo Christus ad Patrem suum hæc verba facit:

D

Sermo

*Sermo tuus, Pater, Veritas est. Nos scimus, illam esse regulam fi-
 dei & normam vitæ nostræ, lucernam pedum nostrorum, fidum il-
 lum sermonem, cui soli debemus attendere lucem illuminantem cor-
 da nostra, potentiam Dei in salutem omni credenti, verbum vitæ,
 fontem consolationis, gladium spiritus, θεόπνευστον, adeoq; utilem
 ad docendum, arguendum, corrigendum & instituendum in justitia,
 perscientem hominem, ut sit integer & ad omne opus bonum in-
 structus. Quibus fundamentis firmiter stantibus, quemadmo-
 dum verè stant & in æternum stabunt, quomodò Sacra scri-
 ptura Hæreticorum patrocinij possit astringi, nec video, nec
 intelligo. Sacra scriptura Lydius quidam lapis est, ad quam om-
 nia dogmata sunt exigenda & dijudicanda: æqualis ergò ac
 constans veritatis erit mensura, & omnem hæreseos distorsio-
 nem & falsitatis curvitatē abjiciet & rectificabit. Sacra scri-
 ptura certissimum quoddam in Christianismo nostro suscepti
 itineris hodogeticum est: à patria igitur, ad quam tendimus,
 cœlesti per quævis errorum avia & anfractus nos non abdu-
 cet. Et quemadmodum è fonte puro non scaturit aqua turbida:
 sic quoque è limpidissimis Israelis fontibus nulla falsa & per-
 turbata promanat doctrina. Doctâ & jucundâ admodum ve-*

nâ hoc ipsum de sacra scriptura confirmavit Poëta ille Christianus & Theiologus præ reliquis eximius ita canens:

Est mare inexhaustum Scriptura, & præbet abundè

Vitæ, quisquis in hac querit & haurit aquas.

Et quò divitias thesauro promissis ab ipso

Plures, complures conspiciuntur adhuc.

*Quæ cum ita sint, contrà omnes Papistas & alios Sacræ scri-
 pturæ Contemptores valeat illud, quod Tertullianus contrà il-
 los professus est, cum dixit: Nobis curiositate opus non est post
 Christum Iesum; nec inquisitione post Evangelium: Cum enim credi-
 mus nihil desideramus ultrà credere: quia hoc primùm credimus,
 non esse quod ultrà credere debeamus. Valeat & illud Chrysostomi
 Omnes Christianos volentes accipere firmitatem fidei veræ, ad nul-
 lam rem aliam confugere decet, quam ad sacram scripturam. Nec
 est, quod obtendas Hæreticorum mores, qui ut velamine ve-
 ritatis suos errores pallient, scripturæ auctoritatem adducunt,
 clamant-*

*Tertull. ad-
 vers. Her-
 mog.*

*Chrysost. in
 opere im-
 perf. hom.
 49.*

clamantes: scriptura hoc dicit; quomodo igitur à veritate aliena est nostra sententia? Hæretici enim scripturâ utuntur pro more Diaboli, hoc est, invertunt, corrumpunt, in sensum alienum distorquent, non suam applicant sententiam scripturæ genuino sensui, sed hunc contrâ vi trahunt ad illam, adeoque errorem non excerpunt ex scriptura, sed in illam potius ingerunt *fidemq;*, uti placet *Hilario* loqui, *sine fide prætendunt*. Unde Hæreticis familiare est, quod infideles uxores in more positum *Hilar. lib. ad Const.* habent: hæ nempe licet fidem datam in lecto connubiali maritis suis sartam tectamvé non servent, sed cum alijs sive viris sive juvenibus etiam rem habeant illicitam; tempore tamen partûs sui ad eos solùm confugiunt, illisq; partes paternas offerunt & adscribunt. Ad eundem enim modum Hæretici quoque, quamvis jam ante cum alijs seductorib. fornicati fuerunt, id est, erroneum impiæ & falsæ religionis semen ab illis suxerunt & conceperunt; tempore tamen eò, quò & ipsi suas errores parere & spargere intendunt, ad sacram scripturam se recipiunt, ac illâ tanquàm suorû errorû genetricem & propugnatricem nefariè eligunt & suspiciunt. Rem cõprobant suò exemplò in vivo quasi speculò expresso ipsi Papicolæ, qui, cû dogma quoddam religionis cudere & condere volunt, initio omnium fugiunt ad traditiones Patrum, hoc est, fabulas fictas, ad scrinium sui pontificis hoc est, ad omnium errorum abundantissimum receptaculum, ex quo concipiunt & hauriunt primum suæ hæreseos fundamentum: Ut verò huic speciem veritatis postea appingant, nec ut spuriam & spurcam doctrinam prodant, sacrarum literarum incorruptam arripiunt veritatem, eâq; suû meretricium erroris colorem atque pudorem tegere conantur. Accedit, quòd Hæretici unicum scripturæ apicem sinistrè intellectum sibi sufficere existiment ad palliandum errores suos, neq; omnibus, neque perfectis, neq; ut dicitur integrum corpus & contextura ejus sacræ scripturæ periodis utentes, sed eligentes ea, quæ ambiguè dicta sunt, istaque ad proprias opiniones traducentes. At verò hoc fieri non debet; sed quemadmodùm qui aurum vel gemmas quærunt, non summam terræ cutem leviter stringunt, verùm in viscera ejus penetrant:

*Iob. 5.
v. 39.
Es. 34.
v. 16.
Ps. 1. v. 2.*

netrant: sic quicunq̄ue aurō vel gemmis infinitis parasangis
preciosiore[m] veritatem cœlestem vult inquirere & indagare,
Sacrae scripturae corticem non debet superfuntoriè tantum,
suis meditationibus attingere, sed in ipsam germani sensus
medullam cogitationes immergere. Requirit hoc *Christus*
iple, qui jubet *scripturas scrutari*: *D. Paulus*, qui mandat *lectio-*
ni attendere: *Propheta Esaias* qui præcipit *in libro Domini dili-*
genter requirere: *Psalmo-graphus Rex David*, qui hortatur *in le-*
ge Dei meditari die ac nocte. Quò sedulo observatō, tantum
abest, ut Sacra scriptura Hæreticis vel in unico iota protroci-
netur, ut potius eorum fallaciam toti mundo detegat, igne ve-
ritatis suæ mendacij & falsitatis stipulas comburat, nec non ad
instar gladij Delphici intricatissimos controversiarum nodos
dissecet. Nam sicut Sol supra terræ Horizontem emicans te-
nebras è mundo expellit & hemisphærium nostrum luce suâ
perfundit: ita etiam Sacra scriptura lux illa lucens in loco ca-
liginoso supra horizontem Ecclesiæ elevata omnes errorum
tenebras abstergit & veritatis lucem accendit. Id quod suo
cum damno aliquando, Papicolæ cum omnibus Hæreticis ac
blasphemè impijs, nisi resipuerint, in inferno experientur, au-
dituri contrà sese Sacram scripturam ipsum iudicem cum hac
decisione certissima & extrà omnem exceptionis, inflexionis,
distorsionis aleam posita: Cedit falsarij in locum ignominia,
quiâ & me olim habuistis ignominiosè: cedit in gehennam,
quiâ & me olim recipere nolulistis in vestram Ecclesiam:
cedite in æternas tenebras, quia lucem meam veritatis re-
cusavistis radiare intra cordium vestrorum latebras. Por-
rò quod de liberalibus artibus seu potius de ipsa Philoso-
phia dicendum restat, multi inveniuntur *ἰ φιλόσοφοι*, qui
eam non minus, quam Papicolæ Sacram scripturam, con-
temnunt & errorum in Ecclesia causam esse dicunt, objici-
entes effatum illud *D. Lutheri*: *Nemo potest fieri Thejologus, nisi*
id fiat sine Aristotele; Et illud Tertulliani: *Miser est Aristoteles,*
qui Hereticis Dialecticam struendi & destruendi versipellem insti-
tuit. At verò ego repono illis gravissimum istud, quod à *Jaco-*
bo Schec-

*Tertull.
lib. 3. ad-
vers.
Marc.*

bo Schegkio Philosophorum Germania facile Principe de Philo-
phia institutum est iudicium, cum inquit: Ego quidem sic judi-
co, tum demum fore quietas & beatas Ecclesias, si aut Philosophi
veri dent operam Thejologiae aut Thejologi philosophentur pie.
 Huic addo & illud, quod ab *Origine Patrum antiquissimo* da-
 tum ita locuto: *Philosophia Veritati, prudentiae, Virtuti & ipsi*
denique cognitioni Dei inservit; ideoque nihil aliud est existimanda aut
appellanda quam Dei sapientiae administra, veritatis cognitio, re-
cteq; vivendi ratio. Quae igitur dissentientium conciliatio?
 Dico, D. Lutherum & Tertulliarum innuisse, principia non
 esse confundenda, neque ex Aristotele de rebus sublimibus ar-
 ticulisque fidei iudicium fieri debere; Jacobum autem Scheg-
 kium & Originem indigitasse, Philosophiam, quamdiu se-
 intra officij cancellos & iudicij terminos contineat, nec ex-
 tra oleas vegetur, nihil magis ad veritatis Thejologicae il-
 lustrationem conferre. Utrumque veritati consenta-
 neum est: Philosophia enim si magisterium & partes he-
 riles sibi sumit in oeconomia sacra, neque a Thejologia se
 informari patitur, sed ipsam informare tentat, non potest
 non excitare errores & schismata in Ecclesia; si autem sibi
 non magisterium, sed ministerium, non heriles, sed ancil-
 lares partes attribuit, nec Thejologiae quicquam praescribe-
 re, sed sibi ab illa, ubi opus est, limites praescribi permittit,
 tantum abest, ut in Ecclesia haereses conflagrare faciat, ut
 potius ad eas extinguendas ex suo armamentario arma sub-
 ministret. Quam ob causam *Clemens Alexandrinus* Philoso-
 phiam *Thejologiae vallum & divinae sapientiae radium* appellat.
 Eandem quoque *Antistetes Augustinus* ad hunc mo-
 dum commendat: *Eruditio, inquit, disciplinarum liberalium mo-*
desta atque succincta & alacriores & perseverantiores exhibet ama-
tores veritatis divinae, ut eam & ardentius expetant, & constantius
insequantur, & postremo dulcius habeant. Et inter coeteras disci-
 plinas de Logica non erubescit gloriari, quod *ea magnum ad*
jumentum dissolvendis Haeticorum sophismatibus attulerit. Quae cum ita
 sese habeat, Philosophia modesta illa Thejologiae ancilla, qua-
 diu cornua ad oppugnandum Thejologiae principia non immitit, sed
 potius caput ad venerandum submittit, tamdiu Thejologiae non
 crit

Iacobus
 Schegk. lib.
 1. de De-
 monst.

Clemens A-
 lex. lib. 1. &
 6. Strom.

Aug. lib. 1.
 de Ordine.

lib. 3. cont.
 Acad. cap.
 13.



erit oppugnaculum sed propugnaculum, tamdiu hæretico femini vires succumque ad crescendū nō suppeditabit, verūm anticipem gladium ad illud in primis, quod ajunt, herbis enecandum & radicitus extirpandum subministrabit. Sed quò inter sermones dilabor! tota Morboria mihi aperiunda foret, si vel plures hæreseos causas, vel illas, quas adduxi, prolixiore oratione prosequi eniterer. Vela igitur διασκέψεωσ hujus hærese-ætio-logiæ contraham, cymbamq; freto huic amplissimo & profundissimimo concreditam porto advertam, ne quid in dicendo nimium pariat ergà rem ipsam sive tædium sive odiū. Vobis autem, Auditores Reverendi admodū, Clarissimi, Excellentissimi, Præstantissimi, Doctissimi, vobis, inquam, quid nobis hac in re faciendum & quæ sint officij nostri partes pro vestra in judicando dexteritate intereà dispiciendum relinquo. Qualis sit in inficiando genus humanū toxicō suō hæreticō verutia & astutia Diaboli, quantum inutilibus altercantium Christianorum conflictibus subsit veritatis periculum, quomodò divina permissio Diabolo ad decipiendum homines sæpè laxet frœnum, quomodò hæresis superbiæ & avaritiæ comes sit individuus, quomodò deniq; in exterminando & proscribendo ex Ecclesia sacram scripturam veritatis unicam normam & fundamentū, ut & sanam & Sobriam Philosophiam, veritatis cœlestis illud propugnaculum sudent tum Papicolæ tum veræ sapientiæ Ofores, ex dictis in memoriam revocare potestis. His igitur malis quò obviam eatur, ut nihil aliud faciamus, quam ut Sobrij & vigiles simus, concorditer & unanimiter conspiremus, Deum, ne nos tentationis laqueis ultrà ponderis mensuram, cui ferundo pares non sumus, nos irretire & implicare sinat, ex animo supplicemus, honoris & facultatis nostræ sorte contenti simus, humilitati studeamus, opes seculi hujus contemnamus & tandem sacras literas diuturnis & nocturnis manibus evolvamus, Philosophiæ Sobriam & utilem operam navemus, veritatem sectemur, falsitatem evitemus, rem ipsam loqui cognoscitis.

Quia verò θεῶν δίδόντος ἔδεν ἰχθύες πόντος; Et,

Nullius

Nullius est felix conatus & utilis unquam,

Ni des auxilium consiliumque Deus,

ad te, ô alme misericors & omnipotens Pater, sursum oculos & corda nostra dirigimus, tuam Majestatem supplicibus invocantes gemitibus, ut Ecclesiam tuam protectionis tuæ alis clementer fovere & contra omnium hostium insultus potenter defendere digneris. Præserva cœtum tuum à fermento corruptæ doctrinæ, quô turgent Photiniani, Calviniani, Papistæ, & alij ejusdem farinae. Arce à notis satanæ insidias, quibus nos tanquàm compedibus constringere & in inextricabiles errorum labyrinthos præcipitare conatur. Ipse enim jam efficax est in ore & opere falsariorum, adeò ut, si possit fieri, vel electi seducantur; muni igitur mentes nostras constanti in te fide & fiducia, apprehende tu ipse scutum & arma, & in nostrum auxilium exurge, ut abjuratus ille noster & in te blasphemus induatur confusione. Averte, omnesque rimas obstrue, ne mare illud iniquitatis totum inundet Christianorum orbem, & cum stabulis armenta rapiat, imò cum arboribus vetulis omnes succrescentes plantulas perpetuâ errorum inundatione obruat & in primo flore submergat. Da nobis Domine Deus noster Spiritum tuum pacis & concordia, ut studeamus servare unitatem Spiritus per vinculum pacis, unitatem inquam, quæ cum veritate conjuncta est, ut simus cor unum & anima una: Sana tu hiantia Ecclesiæ vulnera & dissensionum discordiaque compefce flabella. Expande super nos alas misericordiae tuæ, nec secundum peccata nostra nobiscum age, aliàs enim jam pridem fieri debuissimus præda hostibus nostris: ne subtrahe gratiam tuam imbecilli gregi tuo, nec permitte Diabolo, ipsiusque organis, ut in nos venenata vibrent hæreseos tela. Largire nobis corda humilia, quæ te timeant, nec se à te avertant. Fac sufficiat nobis panis noster quotidianus, nec amemus hujus mundi divitias, quæ in interitum suffocant animas: Cum primis verbum tuum, sine quo tenebræ sumus, à nobis ne auferas; sed adauge potiùs inter nos splendorem lucis tuæ, eaque illumina corda nostra ac effice, ut & nos ipsi in illa luce ambulemus omnibus diebus nostris: confundantur
omnes,

omnes, qui huius lucis sunt inimici nec eã queunt pati, & ut il-
lam habeant alij, invident. Breviter: sis nobis Deus noster
asylum & protectio ab omni malo, eripe nos à cunctis pericu-
lis, ut sub umbra alarum tuarum tuti quiescamus. Fugiant &
cadant hostes nostri, avertantur retrorsum, & erubescant o-
mnes qui nobis volunt mala. Ità fiat! ò benignissime Domi-
ne, Protector potentissime; & sic in agnitione tui crescere, tu-
amque voluntatem facere studebimus, donec ad æternam re-
quiem, ubi erit veritas sine falsitate, lux sine tenebris, securi-
tas sine molestia, scientia sine ignorantia, dignitas sine ambi-
tione, satietas sine defectu, gaudium sine gemitu, vita sine mor-
te, transportati fuerimus, ubi indefinenter cum toto Sancto,
rum & Angelorum choro in suavissimo jubilo & sem-
piterno tripudio Augustissimæ tuæ Majestati
pro his & alijs beneficijs Ambrosias
laudes cantabimus.

D I X I.



Ad



Ad Praestantissimum

Dn. Georgium Röchlinum

publicè declamantem amicum
suum singularem.




ROCHLINO haftenus unici steterè
Labores vegetâ eruditione
Veri simplicis, aureique flores
Enutrire: stetit vigil dici &
Spretæ sollicitudo noctis, omnes
Debellare Sophismatum phalanges.
Jamque implese vices suas abundè
Visus est alijs, sibi minus, quin
Adhuc quod reliquator esset ipse
Fassus, linguam animumque cum calore
Studi consimili cupit juvare,
Cupit consimili polire cura.
Ne fors alterius nitela rara
Obscura alterius laboret aura.
Nec dextrò meditata devenisset
Inconcinnus & indecens loquelæ
Rancor, verum ut in ore collocetur

E

Et

Et levis gravitas, premensque pondus
 Et gravis levitas valorque mulcens.
 Ut ducat, trahat hinc & inde quosvis,
 Quo ducique trahique nemo avet non,
 Quo ducique trahique nemini non
 Bonum est, expedit omnibus peræquò.
Virtus usque adeò eminere ubique
Anbelat! sequere hanc gradu citato
 ROCHLINE, & facilè assequeris illam &
 Si fas est celeri pede antevertes.

M. Andreas Herrenschild Ulmensis
Suevus Collegij Philosophici
Adjunctus.



ALIUD.

GEORGIUS REUCHLINUS

Avayr.

LUGERE HIC: SURGO NISU.


<p>Lugere fuerit, lethifer Cui cancer artus exedit.</p> <p>Lugere suevit, pocula Imbuta qui hausit toxico,</p> <p>Lugere suevit, Pestilens Quem corripit contagio.</p> <p>Lugere, Furia quem mala Scuticis flagellant, adsolet.</p> <p>Lugere suevit, jugere Agri colonus impiger</p> <p>Lolium prehendens fertile, Cancer, venena Cholica,</p>	<p>Furia, luesq; pestilens, Loliumq; fertile Hæresis.</p> <p>Lugeto Christiane grex, LUGERE nãq; HIC te jubet Commune damnũ, cbaritas, Et mutuum consortium.</p> <p>Hanc ergò contra insurgere Nisu decet fortissimo.</p> <p>Ego SURGO NISU tantulo, Mi quantulum divinitus Indulsit alma Virgula; Causas suis coloribus Ortumq;</p>
--	---

Ortumq; pingens Hæresis.
Lugere luctus asperos
Post fata qui fugis tua,
Fuge Hæresin pejus Styge,
Fuge linteis plenissimis.

Et ut queas ocysime,
Causasq; fontē & semina,
Unde ista Pestis pullulet,
Scrutare multa indagine.

Φιλίας ἕνεκα F.

Daniel Goedenius Neostadio-Megapol.



ALIUD.

Dum tu de Hæreticis tractas tractanda Georgi,
Deque illorum ortu magnum opus aggredieris.
Perge, ut cœpisti, præstabis nobile munus,
Et tibi præ reliquis gloria fructus erit.
Quid multis opus est? non te tua gens magè clarat,
Ut gentem clares niteris ipse, tuam.

Micolaus Mormannus Vordà
Bremensis f.



ALIUD.

GEORGIUS REUCHLINUS

Ἀναγρὰμ.

HIC URGEO LUSUS REGNI.

EN Christi REGNUM! LUDENTES ece sodales,
IESU militia suppetis arma tue!

Arma Dei sermo: Sermonis at USUS iniquus,
USUS fit LUSUS fit rationis amor.

Sed benedicta suò stabunt munimine REGNA,
Seu Mendax aderit, siue Tyrannus erit.

O LUSUS REGNI, sed detestabilis USUS!
Sordet Doctrina, sordet & USUS, opus.

Overi

94
11. 886

*O veri servi LUSU Surgete sodales!
Sit vester Deus ò per tege! clamor, amor.
Hic pius & REGNI fatales URGEO LUSUS,
Hæresis, & causas URGEO, triste! tuas.
In latus Sophicis sic perge indute corburnis,
Gloria perpetuâ stat tibi fixa die.*

Votivæ acclamationis & fraternæ
recordationis ergò facie-
bam.

*Ægidius Hojerus Tonningen-
gensis Holsatus.*

FINIS.







Ion. Ti 886

ULB Halle
004 763 904

3



V077



